ORIGENES
Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 147r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



pugnent eos sed & superent & extinguant. Extin
guit namque egyptium qui non agit opera tenebrarum.
extinguit aegyptium qui non carnaliter sed spiritaliter
uiuit. Extinguit aegyptium qui cogitationes sordidas
& impuras uel depellit ex corde uel omnino non recipit.
Sicut apostolus dicit. ad sumentes scutum fidei. ut possimus
omnia maligni iacula ignita extinguere. hoc ergo
modo possumus & iam hodie aegyptios uidere mor
tuos & iacentes ad litus. submergi quadrigas eorum &
equos. Possumus & iam ipsum pharaonem uidere sub
mergi. si tanta fide uiuamus ut dominus conteret satanam
sub pedibus uestris uelociter. per ihesum xpm dominum nostrum. cui est
honor & gloria in secula seculorum. amen.

DE CANTICO QUOD CANTAUIT MOYSES CUM
VI POPULO ET MARIA CUM MULIERIBUS.

Multa quidem cantica referri legimus in scripturis
diuinis. horum tamen omnium primum istud
erit canticum quod aegyptiis & faraone submerso
populus dei post uictoriam caecinit. moris quippe
sanctorum est. ubi aduersarius uincitur. tamquam qui sciant
non sua uirtute sed dei gratia uictoriam factam. ym
num deo gratulationis offerre. Accipiunt tamen
ymnum canentes & iam tymphana in manibus suis.
sicut de maria sorore moysi & aaron refertur.